Quelle: http://manuscripta.at/?ID=922
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

di laborum corporalium distracti-
onibus perfectorum in quorumque men-
tes saepe necesse est et in inten-
tione certe memoria et cogi-
tatione ab interiore unitate
spiritus aliquam pati dissolutio-
nem. Ipse privilegio maioris gra-
tiae in virtute spiritus simul et totus
quidam exterius laborabat, et to-
tus interius Deo vacabat, in alto
pascens conscientiam, in alto de-
votionem. Laboris quippe tempore et
semper interius orabat seu medi-
tabatur seu intermissione exteri-
oris laboris, et exterius labora-
bat absque iactura interioris
suavitatis. Nam usque hodie
quicquid in scripturis valet, quicquid
in eis spiritualiter sentit, maxi-
me in silvis et in agris meditan-
do et orando se confitetur acce-
pisse. et in hoc nullos aliquando se
magistros habuisse nisi quercus
et fagos, ioco illo suo gratio-
so inter amicos dicere solet. Quan-
tum vero in scripturis valeat palam
omnibus est qui vel loquentem eum
audire, vel aliqua quae scrip-
sit legere potuerunt.

Messis tempore fratribus ad
secandum cum fervore et
gaudio sancti spiritus occupatis, cum
ipse quasi impotens et nescius la-
boris ipsi sedere iussus et requiescere
iuberetur, admodum contristatus ad
orationem confugit, cum magnis
lacrimis postulans a Deo dona-
ri sibi gratiam metendi. Nec fe-
fellit simplicitas fidei desideri-
um religiosi. Continuo namque
quod petiit impetravit. Et ex
illo die in labore illo prae ceteris
peritum se esse cum quadam iocun-
ditate gratulabatur, tanto in hoc
opere devotior, quanto se in hoc
ipso facultatem ex solo Dei do-
no reminiscebatur accepisse. Fe-
riatus autem ab huiusmodi labore
vel opere, iugiter aut orabat,
aut legebat, aut meditaba-
tur. Ad orandum si se solitudo of-
ferebat, utebatur; sin autem ubicum-
que seu apud se seu inter turba esset,
solitudinem cordis ipse sibi